



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**De Jure Rerum Ecclesiasticarum Ad Germaniae Catholicae  
Principia Et Usum Pars ...**

Complectens Sectionem I. & II.

**Zech, Franz Xaver**

**Ingolstadii, 1758**

Titulus XI. De Impedimentis Impedientibus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68048](#)

Christiani Comitis Lippiensis cum  
Sophia Hohenlohica anno 1725. 61.).

## TITULUS XI.

### DE IMPEDIMENTIS IMPEDIENTIBUS.

*Conf. Decretal. lib. 4. tit. 4. 6. 16.*

§. 303.

**IMPEDIMENTA** Matrimonii sunt *Impedimenta*, vel *impedientia*, vel etiam *dirimentia*. *Impedientia*, quæ Matrimo-pedientia nium certis personis, aut temporis-sunt bus illicitum faciunt, quamvis contractum valeat, magno olim numero erant: & ea quidem, quæ ex delicto oriebantur 62.), per univer-

B b 5 salem

---

61.) Vid. STRUV. Corp. Jur. publ. c. 25. §. 31. seqq. PFEFFINGER ad Vitriar. Jus publ. lib. 3. tit. 2. fol. 292. seqq. MOSER Diplomatisches Archiv saeculi XVIII. n. 38.

62.) Ista sub his versibus referuntur: *Incestus*, *Raptus Sponsatæ*, *Mors mulieris*, *Susceptus propriæ sobolis*, *mors Presbyteralis*: vel si pœniteat solemniter, aut *Monialem accipiat*, prohibit hæc conjugium sociandum. *Hæc impedimenta*, eo ordine, quo in his versibus continentur,

salem consuetudinem sublata esse  
passim tradunt: impedimentum ve-  
ro Catechismi 63.) a TRIDENTINO  
esse abrogatum 64.), communis  
censem: unde si infans jam donec  
privatim baptizatus, pro supplendi  
ceremoniis sacris deferatur ad tem-  
plum, Parochus diligenter anno-  
bit in libro Baptizatorum, eos, quos  
infantem levaverunt, fuisse solum-  
modo Patrinos Catechismi, non au-  
tem Baptismi, ne oriatur erronea  
opinio de contracto impedimento  
65.). Juxta præsentem Ecclesia di-  
sciplinam Impedimenta Impedien-  
tia quaternario numero his verbis  
comprehenduntur:

Sacratum tempus, Vetus,  
Sponsalia, Votum,  
Impediunt fieri, permittunt fin.  
Et teneri.

§. 304.

---

tur, statuuntur C. 1. & 4. de eo qui co-  
gnov. consanguin. &c. c. 34. XXVII.  
q. 2. c. 5. XXXIII. q. 2. c. 5. in fin. XXX.  
q. 1. c. 2. de poenit. & remiss. c. 12. &  
fin. XXXIII. q. 2. c. 13. XXVII. q. 1.  
**63.)** C. 5. de Cognat. Spirit. c. 2. eod. in fin.  
**64.)** Sefs. 24. c. 2. de Reform. Matrim.  
**65.)** Vid. SANCHEZ de Matrim. lib. 7. dillo-  
10. n. 11. seqq.

§. 304. *Sacratum tempus.* Certis *Sacratum*  
diebus & festis, orationi aut pœni-*tempus* :  
tentiae destinatis, olim ex præcepto  
Ecclesiæ ab usu conjugii abstinen-  
dum erat 66.). Hoc tamen tempo-  
re intra meri consilii limites conti-  
netur, quod olim severa lege erat  
prohibitum: & ex veteri disciplina  
saltem remansit prohibitio solemniti-  
tatum & celebritatum nuptialium.  
Diversum erat olim tempus in di-  
versis Ecclesiis, quo solemnies Nu-  
ptiarum prohibebantur 67.) : hodie de-  
terminatur per Concilium Tridenti-  
num 68.), scilicet ab Adventu Do-  
mini usque ad diem Epiphaniæ, & a  
feria quarta Cinerum usque in Octa-  
vam

---

(6.) Canones plures refert **GRATIANUS**  
Caus. XXXIII. q. 4. Inter excerptiones  
**EBERTI** Archiep. Eborac. can. 109. &  
110. in Collect. Harduin. tom. 3. col. 1970.  
seq. Inter Capitula **THEODORI CAN-**  
**TUARIENS.** c. 33. apud eund. Hard. col.  
1774.

67.) Concil. LAODICENS. can. 52. **SALE-**  
**GUSTAD.** can. 3. **GRATIANUS** can. 8. &  
10. XXXIII. q. 4. C. 4. de Feriis.  
68.) Ses. 24. de Reform. Matr. cap. 10.  
sub nomine solemnitatum nuptialium, in-  
telligitur etiam solemnis nuptiarum be-  
neditio.

vam Paschatis inclusive. Ratio prohibitionis est, quia hi dies singulariter consecrati sunt pœnitentia & devotioni, quæ nuptialium gaudiorum Festivitatibus perturbari non debet, sicut antiquitus pœnitentes contrahere nuptias non permittebant. Unde eruitur, non ipsum contratum Matrimonii esse prohibitum, sed potius solemnitates & publica lætitiae signa, in nuptiis consueta. Hanc prohibitionem superstitionis arguere nemo potest, quin incurrat anathema Concilii TRIDENTINI 69.).

*Vetitum:*

§. 305. Per *Vetitum* intelligitur prohibitio contrahendi conjugii a legitimo Judice, servato juris ordine intimata 70.): potest etiam Parochus, licet jurisdictione careat, interdicere Matrimonium, si impedimentum opponatur; rem tamen debet deferre ad Ordinarium, ut de-

im-

---

69.) Ibid. can. 11.

70.) Non sunt causæ Matrimonii tractandas per quoslibet, sed per Judices discretos, qui potestatem habeant judicandi, & statuta Coronum non ignorent. C. 1. de Consanguin.

impedimento cognoscat 71.). Sane si Parochialis Sacerdos tales conjunctio-  
nes prohibere contempserit.. per trienni-  
um ab officio suspendatur , gravius puni-  
endus , si culpa qualitas postulaverit 72.).  
Eadem prohibitio potest fieri, si gra-  
ve scandalum, inimicitiae, aut alia  
mala ex contracto matrimonio time-  
antur. Sit tamen hac prohibitione non  
obstante contrahant, validum erit  
Matrimonium, nisi aliud subsit im-  
pedimentum 73.) : pœnitentia ta-  
men

---

71.) Presbyteri investigent, utrum aliquod  
impedimentum obstat: cum autem appa-  
ruerit probabilis conjectura contra copulam  
contrahendam, contractus interdicatur ex-  
presse, donec quid fieri debeat super eo, ma-  
nifestis consliterit documentis. c. 3. princ.  
de clandest. despous.

72.) Cit. c. 3. §. fin.

73.) JOSEPHUS ANGLES Flor. Theolog. in  
lib. 4. sentent. p. 1. de Matrim. quæst. de  
impedim. Ordin. art. 2. videtur male do-  
cere , interdictum Ecclesiæ post Triden-  
tinum numerari inter impedimenta diri-  
mentia. Nec obstat decisio ALEXAN-  
DRI III. c. 4. de Sponsa duor. ibi: si contra  
interdictum Ecclesiæ publice factum venire  
præsumperint , Matrimonium tam præsum-  
ptuose contractum poteris irritare. Nam  
in casu hujus decisionis jam præcesserat  
Matri-

men contrahentibus erit imponen-  
da 74.). Nihilominus Summus Pon-  
tifex posset apponere interdictum  
irritans.

*Sponsalia:* §. 306. *Sponsalia* de futuro cum  
uno contracta , nisi ipso jure , <sup>22</sup>  
Ecclesiastici Judicis sententia resolu-  
ta sint , Impedimentum afferunt  
Matrimonio contrahendo , contra-  
ctum tamen non dirimunt , quia for-  
tius est nuptiarum , quam Sponsali-  
um vinculum 75.). Prior Sponsus  
repudiatus acquirit jus resiliendi a  
*Sponsalibus* : potest tamen illud eti-  
am retinere , & dissoluto forte per  
mortem hoc Matrimonio , infide-  
llem suam Sponsam ad implenda prio-  
ra *Sponsalia* compellere 76.).

§. 307.

---

Matrimonium ratum , cum alia contra-  
ctum per verba de praesenti , ut patet ex  
integra Decretali.

74.) C. 2. De Matrim. contract. contra-  
terd. Eccl.

75.) C. 22. & 31. de Sponsalib. c. 1. de  
Sponsa duor.

76.) Quando in cit. c. 22. Sponsus contra-  
hens Matrimonium cum alia dicitur pri-  
mam fidem *irritam* fecisse , intelligitur  
quod eam violaverit , nec aliud multo  
rum Adversariorum rationes efficaciter  
probant.

§. 307. *Votum* intelligitur simplex *Votum* : Religionis, Castitatis, Sacrorum Ordinum, non nubendi &c., quod scilicet Religiosa Professio, vel Sacri Ordinis susceptio non reddidit solemnem. Hoc voto impeditur Matrimonium contrahendum, contractum non dirimitur 77.). Qui post emisum votum perpetuae castitatis contrahit Matrimonium, tenetur, nisi dispensationem aut commutationem voti impetrat, servare in Matrimonio castitatem, absque prajudicio tamen juris alteri conjugi competentis.

§. 308. Alia quæ impediunt Matrimonium, non proveniunt ex legibus Matrimonio propriis, sed ex ratione vel omnibus Sacramentis, vel omnibus officiis Christianis communi, scilicet status peccati mortalis, defensus debitæ instructionis &c. 78.).

TITU-

---

77.) Vota Religiosa ab hominibus Societas Jesu statim post Novitiatum edi solita, quamvis sint simplicia, dirimunt Matrimonium contrahendum. GREGORIUS XIII. in Bulla, *Ascidente Domino anno 1584.*

78.) De hac instructione vid. CLEMENS XI. in suo Bullar. part. 2. edict. 19. n. 11. pag.  
326.